



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

2 Quid sit magnanimitas, & qui eius actus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

pernaturalem supponit, & prudentia supernatura-  
li ut regula vtitur. Hæc eadem sustinet, quia decet  
Christianum, crucis Christi cultorem, immorta-  
litatis candidatum, &c. Etsi enim istæ fortitudines  
circa eadem pericula & circa easdem passiones  
moderandas, ac proinde circa eadem obiecta ver-  
tentur, tamen non eamdem propterea rationem for-  
malem in illis spectant. Vnde nec ob eamdem  
causam ad suas functiones mouentur, sed ob di-  
uersam, & affectibus planè diversis. Quia ratione  
etiam in fortitudine naturali discrimen specificum  
fortasse inuenire posset.

<sup>2</sup> *Partes integrantes vocat, non ex quibus ipse ha-  
bitus intrinsecè coalescat, sed quæ necessariae ad  
integrum fortitudinis officium.*

*Potentia-  
les.*

*Eesse qua-  
tor partes  
fortitudi-  
nis.*

*Potentiales* vero, quæ virtutem fortitudinis in  
materia minùs difficulti imitantur. Porro huius-  
modi partes quatuor numerantur à D. Augustino  
1.8; qq. q. 31. cx Cicerone: *Fortitudo*, inquit, est  
considerata periclorum suscepitio, & laborum per-  
petuo, cuius partes magnificentia, fiducia, patientia,  
perseuerantia; quod D. Thomas optimè declarat  
q. 128. art. vnico in corp. & ad 5.

Officium enim fortitudinis in duobus situm est;  
in aggrediendo & in sustinendo. Ad aggrediendum  
autem duo requiruntur. Primo, Promptiud  
animi ad periculum suscipiendum: hanc præstat  
fiducia; qui enim confidit se malum imminentem  
superaturum, facile periculum suscipit. Secun-  
do, Strenuitas in executione; hanc tribuit mag-  
nificentia, quæ, teste D. Augustino ex Cicerone,  
est rerum magnarum & excelserum, cum animi  
ampla quadam & splendida propositione, cogitatio  
& administratio. Itaque haec virtutes, quatenus  
veriantur in periculis mortis, sunt partes inte-  
grantes fortitudinis, concurrentes ad actum ag-  
gressionis.

Similiter ad sustinendum, qui est alter fortitu-  
dinis actus, duo requiruntur. Primum est, Ne  
animis difficultate & asperitate malorum fran-  
gatur, ad hoc valet patientia, quæ tristitia & dolores  
moderatur; animumque continent ne hisce pa-  
fisionibus vietus, à recto & decoro decidat.

Alterum est, Ne diuturnitas malorum fati-  
scens, cœpta bona abrumpt & deficiat; & ad hoc  
est perseuerantia: quo nomine hic intelligimus  
non eam, quæ est iustitia vñque ad finem conti-  
nuatio, sed propositum durantibus malis in cœpto  
perseuerandi.

<sup>3</sup> *Quo modo  
sunt inte-  
grantes.*

Ex his patet, quæ ratione haec quatuor virtutes  
dicantur partes integrantes fortitudinis; nimur  
si considerentur ut versantur in propria fortitudi-  
nis materia, id est, in periculis mortis; sic enim ad  
integrum illius officium concurrunt, sūcque vel-  
uti quædam illius membra.

*Quo modo  
potentia-  
les.*

Si vero sp̄tēntur in aliis quibusdam materiis  
minùs difficultibus, dicantur partes fortitudinis poten-  
tiales, quia fortitudinem imitantur, licet eius  
perfectionem non assequantur. vide supra c. 46.  
dub. 1. Sic fiducia est virtus, quæ in aliis rebus  
difficultibus extra pericula mortis, promptum ani-  
mum præstat; magnificentia, quæ talia splendide  
executit; patientia, quæ tales difficultates tolerat;  
perseuerantia, quæ in finem in illis perdurat.

<sup>4</sup> *Reducun-  
tur ad su-  
pradicā.*

Notandum est Primo, Prædictis partibus for-  
titudinis tres alias adiici à Macrobi lib. 1. in som-  
nium Sciponis; magnanimitatem, securitatem, &  
constantiam. Verum magnanimitas & securitas

sub fiducia possunt comprehendi; fiducia enim  
continet credulitatem mali superandi vel boni  
consequendi, & spem conficiendi. utrumque parit  
magnanimitas: facit enim, ut id quod arduum est,  
videatur confici posse, & simul eius desiderium  
initiat.

*Securitas* est perfectio quædam fiducia; exclu-  
dens timorem & anxiam curam, tunc enim secu-  
rus est animus, quando ita confidit, ut non am-  
plius timeat vinci à malo, vel excidere à bono;  
item quando malum est superatum.

*Constantia* ad perseverantiam pertinet, quid  
enim est aliud perseverantia quam constantia vñ-  
que in finem? Eodem pertinet longanimitas, quæ  
ob mali diuturnitatem non finit animum à recto  
descifere.

Notandum Secundo, Non omnes prædictas  
partes esse virtutes distinctas, sed satis esse ut sint  
<sup>5</sup> Non sunt  
actus distincti: eiudem enim habitus est, præbere  
omnes disti-  
fincti ha-  
bitus.  
securum absque anxietate. Item eiudem virtutis  
est, efficere patientem, constantem, longanimum  
& perseverantem.

Cetera vide apud D. Thomam in Respons.  
ad 6. vbi corrupte in multis exemplaribus legitur  
lema pro lema, Græcè ἀντίσταται; quod non patientiam  
aut toleratiæ, sed animi confidentiam & prom-  
ptam audaciam significat. Plerumque accipitur  
in bonum; aliquando etiam in malum, ut ex Græ-  
cis Auctoribus constat. hinc *ἀναποτασσειν* vir strenuus  
& animo confidenti, quod est virtutis; vel etiam  
præsidenti, quod est virtutis.

## DUBITATIO II.

*Quid sit magnanimitas, & qui eius actus.*

*Diuinus Thomas quest. 129.*

<sup>6</sup> *M*agnanimitas, seu magnitudo animi, Græcè *μεγεθος τυχης*, est virtus ad opera magna & *Quid ma-*  
heroica in omni virtutis genere inclinans. Magnus *gnanimi-*  
enim dicitur animus, qui ad magna adspirat, eaq;  
sola estimat & cogitat, parua negligit vel despicit.  
ex affectu enim & studio rerum magnarum vel  
paruarum animus magnus vel parvus dicitur. ni-  
hil autem verè magnum in rebus humanis, præter  
virtutem, quæ sola est hominis bonum, & orna-  
mentum quæ homo est, animum perficiens, & æ-  
ternum permanens, æternamque vitam conci-  
lians: cetera omnia, ut diuitiae, voluptates, honores  
huius mundi, parvi sunt momenti, ut pote ad vi-  
tam istam corporalem dumtaxat & temporalem  
pertinentia. Et quamvis omnia virtutum opera ad  
res temporales collata magna sint bona; tamen  
non omnia in suo genere sunt magna vel ardua;  
sunt enim minoria & maiora, facilita & difficultia.  
propriè autem dicuntur magna, quæ in singulis  
virtutum generibus magna seu ardua censentur,  
magnoque honore sunt digna; ut sunt magna absti-  
tinentia, magna vita auerteritas, magni labores  
pro salute animalium, eximia patientia in magnis  
calamitatibus, eximium orationis studium, &c.  
Itaque virtus illa, quæ magnitudo animi dicitur,  
ad hanc inclinat.

Nec obstat, quod omnis virtus, si perfecta sit,  
ad opera magna sui generis incitat; (magna enim  
virtus abstinentia, ad magna reiunia, magna  
religio,

O o o

*Quomodo  
hac virtus  
inclinet ad  
magna o-  
pera vir-  
tutum.*

religio, ad magna in Deum pietatis officia impellit) quia aliam rationem formalem, seu aliud motuum intrinsecum aliae virtutes in suis obiectis spectant, aliud magnitudo animi. haec enim inclinat ad opera magna virtutum, non quia in illis elucet honestas peculiaris illius vel illius virtutis, v.g. bonum abstinentiae, vel Religionis; sed quia magna sunt & ardua; id est, quia consentanea animo magno & generoso, magnis gratiæ præstadiis adiuto, magna rerum cælestium cognitione instruendo, magnis premiis illeto, magnis exemplis provocato. qui enim haec perpendit, facile videt, magna virtutum officia sibi congruere, & decorum esse non nisi magna cogitare, estimare, affectare, moliri. Itaque esse *magnum* seu *arduum* in operibus virtutum aliorum, est ratio formalis obiectiva huius virtutis, ob quam ad illa inclinat, & quam in illis efficiere & veluti in sua materia imprimere conatur. Reliquæ vero virtutes, si perfectæ sint, seu in gradu heroico, inclinant opera magna sui generis; non ratione magnitudinis, sed ratione peculiaris honestatis, quam habent ex sua materia, quæ honestas in magnis operibus est illustrior. Itaque magnitudo operum non se habet tamquam motuum principale seu formale illarum virtutum, sed vt circumstantia obiecti, ratione cuius honestas obiecti magis elucet, & vt circumstantia operis, in executione respondens circumstantiæ quæ est in causa. sicut enim magnus ignis magnum calorem generat, ita magna virtus iustitiae, fortitudinis, temperantiae, magna opera sui generis.

*Ratio for-  
malis obie-  
ctiva huius  
virtutis.*

*Quo modo  
alii virtu-  
tes inclinat  
ad magna.*

*Distingui-  
tur specie  
ab aliis.*

8 Hinc patet, virtutem hanc, etiæ ad opera illustriora aliarum virtutum inclinet; tamen ab illis distinguuntur specie, & esse virtutem specialem: habet enim distinctum obiectum formale, à quo suam speciem accipit: & illa opera solum se habent instar materia, cui suam formam inserat, quæ est, esse magnum & arduum.

Hanc doctrinam expressè tradit Caietan. q. 129. art. 1. & 4. & est D. Thome ibidem. sed clarius in 3. caput lib. 4. Ethicorum, expont illa verba Aristotelis, *Etiam viri magnanimi esse videatur quod in quaque virtute magnum est*; ubi dicit: *Per hoc magnitudo est specialis virtus definita ab aliis, quia tendit ad rationem magni in cuiuslibet virtutis opere*, v.g. fortitudine intendit fortiter agere; magnanimitas intendit magna operari in fortiter agendo, & sic de aliis. Idem docet q. 134. a. 1. ad 2. Eadem est mens Aristotelis in verbis allatis; & infra cum ait, *Videtur animi magnitudo quasi quoddam virtutum omnium ornamentum; nam & maiores eas ampliore sequitur, & sine illis constare nullo modo potest.*

*Obiectio.*

9 Dices, Aristoteles capite illo 3. & D. Thomas q. 129. art. 2. 3. & 4. docent magnanimitatem versari circa magnos honores, ideoque esse virtutem specialem: ergo non extendit se ad actus eximios aliarum virtutum.

*Respon.  
Quo modo  
versatur  
in magna  
honorebus.*

Respondeo negando consequentiam: aliter enim versatur circa honores, aliter circa actus virtutum. Circa honores enim versatur, non quidem eos propter se expetendo; (hoc enim laudabile non est) sed tamquam circa materiam remotam; moderando appetitum honorum, vt eis recte utram, nec pluris, quam par est estimemus: sicut liberalitas versatur circa diuitias, & fortitudo circa pericula mortis. circa vero actus virtutum versatur tamquam circa obiectum materiale, seu

materiam propinquam, magnitudinem & excellētiā quādam in illis appetendo, procurando & efficiendo. Sicut enim fortitudo moderatur timorem & audaciam in periculis, vt fortiter agat; & liberalitas amorem pecunia, vt ea recte vi possit, & facile donare ubi ratio dictat: ita magnitudo animi temperat appetitum magnorum hominum, vt opera magna sincero affectu desinet; ne vel si honor ablit, desistat; vel si adsit, cuius affectu potissimum mouetur. qui enim magna præstare in aliquo virtutum genere student, potissimum infestant appetitu honoris, qui industria facta comitari solet, & vehementer affectum ad se trahit; itaque eget moderatione, quam effectū hæc virtus. eiusdem enim virtutis est bonum opus operari, & intrinseca eius impedimenta, que ratione materia prouenient, tollere: tale autem impedimentum est honoris immodicus appetitus. neque solum in honoribus moderationem animi parit hæc virtus, sed etiam in contumeliis & omni fortuna conditione, vt Aristoteles loco citato docet: *Maxime inquit, in honoribus & fortuna versatur vir magnanimus. verum tamen in diutius aduersa* <sup>Etiam in</sup> *quoque & principatu, in omni denique secunda & aduersa fortuna quidquid acciderit, in eo se moderatum præbebit: neque in rebus secundis latitia effertur, neque in aduersis morore contrahetur; nam ne in honore quidem sic animatus est, qui tamen quam maxima res est.*

Ex his perpicuum est Primo, Quodnam huius virtutis sit officium: principale enim munus eius, quod ipsa potissimum intendit, est opera magnam, seu quæ magno honore sint digna efficeri, non propter honorem huius mundi (non enim est vera virtus, quæ honorem humanum sibi proutissimum habet, vt docet D. Augustinus libro 5. de Cœnit. cap. 12. quia est res caduca, fragilis, fallax, bonis & malis communis) sed propter ipsorum operum excellentiam, ratione cuius honor solum digna.

Secundum mutus eius est, appetitum honorum moderari, ita vt eos neque multum appetat, neque plus quam par est refugiat: si deferantur, iis non extollit, non exultare latitia, sed moderat se gære. Vnde Aristoteles ait: *Magnis honoribus & us qui à viris bonis deferetur modice delectabitur, tamquam sibi accommodatis: qui autem à vulgo & ob res parvas tribuentur, prorsus contemnet.*

Tertium, In omni prospera & aduersa fortuna moderat se agere. cum enim nihil magni & stimeri, nisi quod vere magnum est, fit vt omnia temporalia parui pendat, ac proinde non multum curet illorum secundos vel contrarios successus.

Quamvis autem magnanimus honorem huius mundi parui æstimet, neque propter illum operari potest, & ad ardua virtutum conniti: vnde 2. Corinth. 10. dicitur: *Qui gloriatur, in Domino glorieatur; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat & Iohannis 5. vers. 38. aperte indicatur, gloriam, quæ à solo Deo est, esse querendam.*

Pater secundo, Hanc virtutem maximè reperi in iis, qui spes omnibus quæ in mundo sunt, insit haec Christi virtus.

Christi consilia sunt secuti, & ad eius imitacionem vitam componunt. magnitudo enim animi potissimum in duobus sita est; in contemptu eorum rerum quae maximi vulgo estimantur & queruntur, vt sunt diuitiae, voluptates, & honores; & in conatu nisique ad ea quae sunt maxime ardua & honore caelesti digna; vt sunt consilia Domini, perfectio vita Christiana.

<sup>13</sup> Pater Tertiò, Ad hanc virtutem pertinere fidentiam & securitatem. Fidentiam quidem, quia non potest quis ardua generose aggredi, nisi multum confidat se posse confidere. Deinde fidentia oritur ex eo quod quis aduerteret sibi suppeteret vites & auxilia ad res arduas peragendas, & quod earum perficiendarum desiderio teneatur; quorum virtus est in hac virtute. Securitatem vero, quia qui res humanas non multum curat, & solis aterritus est intentus, ad quas satis opis & præsidij à Deo se habere sentit; multis curis est solitus, & magna animi securitate fruatur. magna quoque confidentia securitatem parit.

<sup>14</sup> Mores magistrorum. Notandum est, ab Aristotele assignari viginti mores seu conditiones viri magnanimi, quae nobis breviter explicanda: sunt enim notæ quadam eximiae huius virtutis, merito vitæ & moribus exprimenda.

Prima, *Dignum se magno honore existimare, intelligere, spectato officio quod gerit, vel donis Dei quibus est ornatus. Cum hoc tamen stare potest ut sit humillimus coram Deo, dum considerat se ex scipio nihil boni habere, nihil posse, nihil esse; sine Deo in profundum malorum, in modo in nihilum ruere, &c. Sic Sancti in celis & humillimi sunt, & tamen ab hominibus coli volunt, diuersa sui consideratione.*

Secunda, *Modicè honoribus, etiam magnis, & à bonis viris oblatis delectari, à vulgo & ob res parnas delatos contemnere.*

Tertia, *In prosperis & aduersis moderatum se prebere.*

Quarta, *Non offerre se casibus parvorum periculorum, nec amare pericula, eo quod paucas res magni faciat; magnis tamen, vbi de rebus præclaris agitur, se expondere, & tunc vite non parcere. Aristoteles tribus verbis: οὐν ἐστὶ δὲ μηδέποτε παρά τις φροντίδως, μηγανονθεῖται δέ.*

Quinta, *Acceptum beneficium maiore beneficio compensare. unde fit, ut non multum meminerit beneficiorū acceptorū; quia maioribus illa beneficis obruit. quod intellige de beneficis humanis & vulgaribus, quæ ipse facilē potest vincere.*

Sexta, *Neminem autem virum quemquam rogare. vel enim parva fuit quæ ab aliis potest accipere; & ita non curat: vel certè sua industria potest consequi; & sic non vult ab alio pendere, nec alteri molestatus esse.*

Septima, *Libenter alteri operā dare atque inservire: hoc enim est perfectionis & æuropœi signum.*

Octaua, *Cum viris Principibus & opulentis præstare se magnum & excelsum; nimur illis non adulando, nec finendo suam libertatem optimi eorum auctoritate. cum mediocribus & insimis modestum ac moderatum. sic enim Deum quodam modo imitatur, qui humilia respicit.*

Nona, *Non se locis aut functionibus honorioribus ingerere: hoc enim potius ambitionis, quam magnanimi.*

Decima, *Cunctari & quietem agere, nisi res magna sit proposita; quia parua non moratur; unde fit ut paucā faciat, sed magna.*

Vndeclima, *Aperie odissi, & aperie amare; puta quæ odio vel amore digna. Græcè est, εἴναι φερόμενον καὶ φερεῖν, quia timentis est fronte occultare sententiam.*

Duodecima, *Aperi omnia dicere & agere: intellege, intra limites prudentia. Addit Aristoteles: Amat enim orationis libertatem, quia ad alios contumendos est propensus. id est, Cùm res humanas parui faciat, facile ita se gerit, ut etiam alios parui pendere videatur. quod intellige, quando de veritate vel iustitia agitur. exempla habemus in martyribus, & alius viris sanctissimis.*

Decimatercia, *Vix dissimulatione in vulgo: non enim sua patefacit omnibus, sed tegit; non enim querit vulgi laudes.* <sup>15</sup>

Decimaquarta, *Non posse alterius nutu vivere, nisi amici: seruile enim id est, nec sine assertione fieri potest; à qua ille longissime abest. quod si amici nutu vivere potest, multò magis nutu Superioris, qui & maximè est amicus, (cùm omne bonum subditum ex sincera benevolentia velit ac proceret) & loco Dei præsedit. unde patet, religiosam obedientiam cum magnanimitate non pugnare, sed ei consentaneam esse.*

Decimaquinta, *Non facile admirari: nihil enim ei magnum est, inquit Aristoteles, puta in rebus humanis.*

Decimafesta, *Non meminisse iniuriarum: viri enim magnanimi non est, at idem, memorem esse, præserimini iniuriarum & malorum, sed ea potius pro nihilo putare. Itaque viles animæ sunt, Aristotelis sententia, qui iniurias priuatas sine fine perseguuntur. quo modo enim non viles, quorum status & dignitas omnis uno verbo labefactatur, nec nisi eo vindicato, constare potest: quanto generosius est, statum suum extra fortunam a leam reposi- tum ducere; nec se à quoquam nisi à scipio laedi posse? Multum igitur errat vulgus, qui illos generosos & magnanimos putat.* <sup>16</sup>

Decimaleptima, *Non capide loqui de hominibus, quia neque ut laudetur sollicitus est, nec ut alij virtutem perirentur. nec aliorum laudator est, nec maledicunt, ne inimicos quidem nisi accepta contumelia. vbi Aristoteles permittit illis rependere ταυταταν, id est, probrum seu conutium, accepta contumelia ab inimico: tunc enim non videtur esse contra virtutem, si moderatè & absque scandalo fiat, ut sic contumelia repellatur. plerumque tamen melius est dissimulare, ne videamur reddere malum pro malo, aut maledictum pro maledicto, contra præceptum Apostoli, & Domini nostri: idque maioris animi est signum. Leo ad latratus canum viri latus respicit.* <sup>17</sup>

Decimaoctaua, *In rebus, quæ necessario perfronde, vel quæ exiguae sunt, non esse queribundum aut supplicem: quia est animi nimium rebus humanis addicti.*

Decimanona, *Malle possidere res honestas quam fructuosas, hoc enim magis proprium est hominis scipio contenti.*

Vigesima, *Habere motum tardum, vocem grāuem, orationem stabilem ac sedatam: quia festinare non solet, qui paucis rebus studet; nec vehementer contendere, cui nihil magnum esse videtur. Ita Aristoteles.*